

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Isaac de hóstia, et de manu patris sui Abrahæ.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Lot de Sódomis, et de flamma ignis.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Móysen de manu Pharaónis regis Ægyptiórum.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Daniélem de lacu leónum.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti tres púeros de camíno ignis ardéntis, et de manu regis iníqui.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Susánnam de falso crimine.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti David de manu regis Saul, et de manu Golíæ.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti

Petrum et Paulum de cárcibus.

℟. Amen.

Et sicut beatíssimam Theclam Vírginem et Mártýrem tuam de tribus atrocíssimis tormentis liberásti, sic liberáre dignéris ánimam hujus servi tui, et tecum fácias in bonis congaudére coeléstibus. ℟. Amen.

Oratio.

Commendámus tibi Dómine ánimam fámuli tui **N.** precamúrque te Dómine Jesu Christe Salvátor mundi, ut propter quam ad terram misericórditer descendísti, Patriarchárum tuórum sínibus insinuáre non rénuas. Agnósce Dómine creatúram tuam, non a diis aliénis creatam, sed a te solo Deo vivo et vero : quia non est álius Deus præter te, et non est secúndum ópera tua. Lætífica Dómine ánimam ejus in conspéctu tuo, et ne memíneris iniquitátum ejus antiqúarum, et ebrietátum, quas suscitávit furor sive fervor mali desidérii. Licet enim peccáverit, tamen Patrem, et Fílium, et Spíritum sanctum non negá-

vit, sed crédidit ; et zelum Dei in se hábuit, et Deum, qui fecit ómnia, fidéliter adorávit.

Oratio.

Delicta juventútis, et ignorántias ejus, quæsumus, ne memíneris Dómine : sed secúndum magnam misericórdiam tuam memor esto illius in glória claritátis tuæ. Aperiántur ei cœli, collæténtur illi Angeli. In regnum tuum Dómine servum tuum súscipe. Suscípíat eum sanctus Míchael Archángelus Dei, qui militiæ cœléstis mérui principátum. Véniant illi óbviám sancti Angeli Dei, et perducant eum in civitátem cœlestem Jerúsalem. Suscípíat eum beátus Petrus Apóstolus, cui a Deo claves regni cœléstis tráditæ sunt. Adjuvet eum sanctus Paulus Apóstolus, qui dignus fuit esse vas electiõnis. Intercédant pro eo sanctus Joánnes eléctus Dei Apóstolus, cui reveláta sunt secréta cœléstia. Orent pro eo omnes sancti Apóstoli, quibus a Dómino data est potéstas ligándi atque solvéndi. Intercédant pro eo omnes sancti et elécti Dei, qui pro

Christi nómine tormenta in hoc sæculo sustinué-runt : ut vínculis carnis exútus, pervenire mereátur ad glóriam regni cœléstis, præstánte Dómino nostro Jesu Christo. Qui cum Patre et Spíritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen. **Si anxiatur adhuc anima, dicuntur hi Psalmi, videlicet. Confitémini Dómino. 27. et totus Ps. Beati immaculáti. per Horas distributus. 29.**

Egressa autem anima, dicitur hoc ℟. Subveníte Sancti Dei, occúrrite Angeli Dómini : * Suscipiéntes ánimam ejus : * Offeréntes eam in conspéctu Altíssimi. ℣. Suscípíat te Christus qui vocávit te, et in sinum Abrahæ Angeli dedúcant te. — Suscipiéntes. ℣. Réquiem ætérnam dona ei Dómine : et lux perpétua lúceat ei. — Offeréntes.

Deinde Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Postea Pater noster. secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatióne. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Réquiem ætérnam

dona ei Dómine. **R.** Et lux perpétua luceat ei.

V. A porta ínferi. **R.** Erue Dómine ánimam ejus.

V. Requíescat in pace. **R.** Amen.

V. Dómine exáudi oratióem meam. **R.** Et clamor meus ad te véniat.

V. Dóminus vobíscum. **R.** Et cum spírítu tuo.

Orémus. **Oratio.**

Tibi Dómine commendámus ánimam fámulí tui **N.** ut defúnctus sæculo tibi vivat : et quæ per fragilitátem humanæ conversatiónis peccáta commísit, tu vénia misericordíssimæ pietátis abstérge. Per Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

Ritus Absolut. apostol. in articulo mortis

A SACERDOTIBUS AD ID DELEGATIS IMPERTIENDÆ.

V. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. **R.** Qui fecit cælum et terram.

Añã. Ne reminiscáris Dómine delícta fámulí tui (vel ancíllæ tuæ), neque vindíctam sumas de peccátis ejus.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster.

V. Et ne nos indúcas in tentatióem. **R.** Sed libera nos a malo.

V. Salvum fac servum tuum (vel ancíllam tuam, et sic deinceps). **R.** Deus meus sperántem in te.

V. Dómine exáudi oratióem meam. **R.** Et clamor meus ad te véniat.

V. Dóminus vobíscum. **R.** Et cum spírítu tuo.

Orémus. **C**lementíssime Deus, Pater misericordiárum, et Deus totiús consolatiónis, qui néminem vis perire in te credéntem, atque sperántem : secúndum multitudínem miseratiónum tuárum respice propítius fámulum tuum **N.** quem tibi vera fides et spes christiána comméndant. Visita eum in salutári tuo, et per Unigéniti tui passióem et mortem ómnium ei delictórum suórum remissióem et véniam cleméter indulge, ut ejus ánima in hora éxitus sui te júdicem propitiátum invéniat, et in ságuine ejúsdem Fílii tui ab omni mácula ablúta, transíre ad vitam mereá-

tur perpétuam. Per eúdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Tum dicto ab uno e clericis astantibus Confíteor. Sacerdos dicat. Misereátur. **deinde.**

Dominus noster Jesus Christus Fílius Dei vivi, qui beáto Petro Apóstolo suo dedit potestátem ligándi atque solvéndi, per suam piússimam misericórdiam recípiat confessióem tuam, et restituat tibi stolam primam, quam in baptísmate recepisti : et ego facultáte mihi ab apostólica sede tribúta, indulgéntiam plenáriam, et remissióem ómnium peccatórum tibi concédo. In nómine Patris **+** et Fílii, et Spírítus sancti. Amen. Per sacrosáncta humanæ reparatiónis mystéria remíttat tibi omnipotens

Deus omnes præsentis et futúráe vitæ poenas, paradísi portas apériat, et ad gáudia sempitérna perdúcat. Amen.

Benedícat te omnipotens Deus, Pater **+**, et Fílius, et Spírítus sanctus. Amen.

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque Confessionis generalis faciendæ, neque præmissarum precum recitandarum suppetat tempus, statim Sacerdos Benedictiõnem ei impertiatur, dicendo : Dóminus noster. ut supra.

Et si mors proxime urgeat, dicat :

Indulgéntiam plenáriam et remissióem ómnium peccatórum tibi concédo, in nómine Patris **+**, et Fílii, et Spírítus sancti. Amen.

Benedictio Mensæ.

ANTE PRANDIUM.

Sacerdos benedicturus mensam incipit.

Benedícite. et alii repetunt Benedícite. **Deinde dicit V.**

Oculi ómnium. et alii prosequuntur. In te sperant Dómine, et tu das escam

illórum in témpore oportúno. Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictiõne.

Glória Patri. etc.

Sicut erat. etc.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster. **secreto.**

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℞. Sed líbera nos a malo.

Postea Sacerdos dicit.
Orémus.

Benedic Dómine nos et hæc tua dona, quæ de tua largitáte sumus sumptúri. Per Christum Dóminum nostrum. ℞. Amen.

Deinde Lector. Jube domne benedícere.

Benedictio. Mensæ cœlestis participes fáciat nos Rex æternæ glóriæ.

℞. Amen.

POST PRANDIUM.

Aguntur gratiæ hoc modo.

Dicto a Lectore. Tu autem Dómine miserére nobis. ℞. Deo grátias. omnes surgunt.

Sacerdos incipit ℣. Confiteántur tibi Dómine ómnia ópera tua. ℞. Et Sancti tui benedícant tibi.

℣. Glória Patri. ℞. Sicut erat.

Postea Sacerdos absolute dicit.

Agimus tibi grátias omnipotens Deus, pro univérsis beneficiis tuis. Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.

℞. Amen.

Deinde alternatim dici-

tur Psalm. Miserére mei Deus. [268] vel

Psalmus cxxij.

Laudáte Dóminum omnes Gentes : * laudáte eum omnes pópuli :

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus : * et véritas Dómini manet in ætérnum.

Glória Patri. etc.

Sicut erat. etc.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Sacerdos dicit. Pater noster. secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℞. Sed líbera nos a malo.

℣. Dispérsit, dedit pauperibus. ℞. Justítia ejus manet in sæculum sæculi.

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore. ℞. Semper laus ejus in ore meo.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea. ℞. Audiant mansuétí, et læténtur.

℣. Magnificáte Dóminum mecum. ℞. Et exaltémus nomen ejus in idípsum.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℞. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

Deinde sine Orémus.

Retribúere dignáre Dómine ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum vitam æternam. ℞. Amen.

℣. Benedicámus Dómino. ℞. Deo grátias.

℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace. ℞. Amen.

Pater noster. secreto.
Quo finito, dicit Sacerdos. Deus det nobis suam pacem. ℞. Amen.

ANTE CŒNAM.

Sacerdos benedicturus mensam incipit. Benedícite, et alii repetunt. Benedícite.

Deinde Sacerdos incipit ℣. et alii prosequuntur.

EDent páuperes, et saturabúntur, et laudábunt Dóminum, qui requirunt eum : vivent corda eórum in sæculum sæculi.

Glória Patri. Sicut erat. Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster. secreto.
℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℞. Sed líbera nos a malo.

Orémus. Benedic Dómine. ut supra in prandio.

Jube domne benedícere. Bened. Ad cœnam vitæ

æternæ perdúcat nos Rex æternæ glóriæ. ℞. Amen.

IN FINE CŒNÆ.

Dicitur ℣. Memóriam fecit mirabílium suórum misericors et miserátor Dóminus. ℞. Escam dedit timéntibus se.

Glória Patri. Sicut erat. Sacerdos dicat.

Benedíctus Deus in donis suis, et sanctus in ómnibus opéribus suis. Qui vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℞. Amen.

Deinde alternatim dicitur Ps. Laudáte Dñum. et reliqua ut supra. [284]

Quando semel comeditur, omnia dicuntur ut in cœna.

Prædictus modus benedícendi mensam, et agendi gratias, servatur omni tempore hujus Partis Vernæ, præterquam diebus infrascriptis, quibus Versiculi et Psalmi tantum variantur.

FERIA V. IN CŒNA DOMINI dicitur absolute et sine nota :

℣. Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem.

Deinde Pater noster. totum secreto.

Quo dicto, sine pronun-

tiatione aliqua Sacerdos signo Crucis benedicit mensam, nec dicitur Jube domne. nec Tu autem.

In fine repetitur *℣.* Christus factus est. ut supra. Postea dicitur Ps. Misere mei Deus. 67.

Quo finito sine *℣.* Glória Patri. dicitur Pater noster. secreto.

Deinde Sacerdos dicit absolute Orationem.

Oratio.

Respice, quæsumus Dómine, super hanc familiam tuam, pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit máibus tradi nocéntium, et crucis subire torméntum.

Et non pronuntiatur Qui tecum. nec Fidélium animæ. sed secreto dicitur Pater noster. nec additur Deus det nobis suam pacem.

IN PARASCEVE eodem modo fit sicut in Cœna Domini, sed additur ad *℣.* Christus factus est, ... Mortem autem crucis.

SABBATO SANCTO ad benedicendum mensam dicitur Benedícite. *℣.* Benedícite.

℣. Vespere autem sabbati, quæ lucéscit in prima sabbati, allelúia.

℣. Venit María Magdaléne, et áltera María, vidére sepúlcrum, allelúia.

Glória Patri. Sicut erat.

In fine repetitur *℣.* Vespere autem. ut supra, cum Glória Patri. Sicut erat.

Ps. Laudáte Dóminum omnes Gentes. [284] cum Glória Patri.

Kyrie eléison. et alia ut supra in prima Benedictione. [284]

IN DIE PASCHÆ et deinceps usque ad cœnam sequentis Sabbati, ad benedicendum mensam dicitur

℣. Hæc dies quam fecit Dóminus, allelúia. *℣.* Exsultémus et lætémur in ea, allelúia.

Glória Patri.

In fine repetitur. Hæc dies. cum Glória Patri.

Ps. Confitémini. 27.

IN ASCENSIONE DOMINI usque ad Vigiliam Pentecostes exclusive.

℣. Ascéndit Deus in jubilatione, allelúia. *℣.* Et Dóminus in voce tubæ, allelúia. Glória Patri.

In fine dicitur *℣.* Ascéndens Christus in altum, allelúia. *℣.* Captívam duxit captivitátem, allelúia.

Glória Patri.

Ps. Omnes Gentes. 81. vel Laudáte Dñum. [284]

IN PENTECOSTEA Vigilia ejusdem inclusive usque ad cœnam sequentis Sabbati exclusive.

℣. Spiritus Dómini replévit orbem terrárum, allelúia. *℣.* Et hoc quod contémnet ómnia, sciéntiam habet vocis, allelúia.

Glória Patri.

In fine dicitur *℣.* Repléti sunt omnes Spíritu sancto, allelúia. *℣.* Et cœpérunt loqui, allelúia.

Glória Patri.

Ps. Magnus Dóminus. 81. vel Laudáte Dóminum omnes Gentes. [284]

Itinerarium.

Clericus in ipso itinere ingressu, si solus fuerit, dicat quæ sequuntur in singulari; si cum sociis, in plurali.

Añã. In viam pacis.

Canticum. Benedíctus Dóminus Deus Israel. 26.

In fine Glória Patri.

Añã. In viam pacis et prosperitátis dirigat nos omnipotens et miséricors Dóminus: et Angelus Raphaël comitétur nobiscum in via, ut cum pace, salúte, et gáudio revertámur ad própria.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster. secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. *℣.* Sed líbera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos. *℣.* Deus meus sperántes in te.

℣. Mitte nobis Dómine auxiliúm de sancto. *℣.* Et de Sion tuére nos.

℣. Esto nobis Dómine turris fortitúdinis. *℣.* A fácie inimíci.

℣. Nihil proficiat inimícus in nobis. *℣.* Et filius iniquitátis non appónat nocére nobis.

℣. Benedíctus Dóminus die quotidie. *℣.* Prósperum íter fáciat nobis Deus salutárius nostrórum.

℣. Vias tuas Dómine demónstra nobis. *℣.* Et sémitas tuas édoce nos.

℣. Utinam dirigántur viæ nostræ. *℣.* Ad custodiéndas justificatiónes tuas.

℣. Erunt prava in directa. *℣.* Et áspera in vias planas.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te. *℣.* Ut

custódiant te in ómnibus viis tuis.

V. Dómine exáudi oratióem meam. **R.** Et clamor meus ad te véniat.

V. Dóminus vobíscum. **R.** Et cum spírítu tuo.

Orémus.

Oratio.

DEus, qui filios Israel per maris médium sicco vestígio ire fecisti, quique tribus Magis iter ad te stella duce pandísti: tríbue nobis quæsumus iter próspere, tempúsque tranqúillum: ut Angelo tuo sancto cómite, ad eum quo pérgimus locum, ac demum ad ætérnæ salútis portum pervenire feliciter valeamus.

DEus, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldæórum edúctum per omnes suæ peregrinatónis vias illæsum custodísti: quæsumus, ut nos fámulos tuos custodire dignéris: estó nobis Dómine in procinctu suffrágium, in via solátium, in æstu umbráculum, in plúvia et frígore tegumén-

tum, in lassitúdine vehículum, in adversitaté præsidium, in lúbrico báculo, in naufrágio portus: ut te duce, quo téndimus, próspere perveniámus, et demum incólumes ad própria redeámus.

ADesto, quæsumus Dómine, supplicatióibus nostris: et viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitaté dispóne: ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietátes tuo semper protegámur auxilió.

PRæsta, quæsumus Omnípotens Deus, ut familia tua per viam salútis incédât, et beáti Joánis præcursóris hortaménta sectándo, ad eum quem prædixit, secúra pervéniat, Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spírítus sancti Deus: per ómnia sæcula sæculórum.

R. Amen.

V. Procedámus in pace.

R. In nómine Dómini. Amen.



Officia votiva per Annum.

Officia hæc votiva per Annum ritu semiduplici pro singulis Hebdomadæ Feriis a summo Pontifice LEONE XIII. per decretum URBIS ET ORBIS Sacrorum Rituum Congregationis die 5. Julii 1883. generali indulto concessa, persolvi possunt, juxta idem indultum, loco Officiorum ferialium occurrentium, quocumque Anni tempore, exceptis Feria quarta Cinerum, Feriis totius temporis Passionis, ac sacri Adventus a die 17. ad 24. Decembris inclusive. Habent juxta Rubricas prout alia Festa semiduplicia novem Lectionum, tum Commemorationes Feriæ et Festi simplicis occurrentis, tum nonam Lectionem de Homilia super Evangelium ejusdem Feriæ, aut de Sancto. Adduntur Commemorationes communes, seu Suffragia Sanctorum ut in Psalterio, si faciendæ sint, omissa Commemoratione ejus, de quo fit Officium votivum. Si die præcedenti aut sequenti occurrat Officium aliud quodcumque novem Lectionum, Vesperæ Officii votivi currentis ordinandæ erunt juxta Rubricam de *Concurrentia Officii*.

PRO FERIA II.

De sanctis Angelis.

Semiduplex.

In ij. Vesperis Dominicæ Commemoratio SS. Angelorum.

Añã. Omnes sunt administratórii spírítus in

ministérium missi propter eos, qui hereditátem capiunt salútis.

V. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus. **R.** Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.